
LUMINARE
IN ACADEMI UMBRIS
REFULGENS,
DOCTOR JOANNES
CANTIUS,
Sapientiâ ùt Laureatus, meritîs ùt Beatus,
CLARISSIMUM.
Redeunte Annua suæ Festivitatis die,
In Ecclesia Collegiata B.V. MARIÆ in Sūmo Posnaniēsi
In Amplissimo Illustrissimorum Hospitum Congressu.
Per
M. ANDREAM BADURSKI, in Alma Universitate Cracoviensi Philosophiæ Doctorem, in Inclyta Academia Posnaniensi Scholæ Grammatices Professorem.

Devotô Orationis instrumento
PRÆSENTATUM.
Anno Quo
MVnDanæ tenebræ perIere à LVCe saCrata
1761. Die 25. Octobris.

POSNANIÆ, Typîs ACADEMICIS.

IN GENTILITIUM INSIGNE
ILLUSTRISSIMÆ
WALKNOWSCIORUM DOMUS.



ALEA quid ſignat, medius CAPER? addita PENNA?
Hæc ſortes confert, Hic bona ſigna refert.
Ut ſurgant altum meritîs, hoc Stemmate NATI,
Struthio mox pennîs, conſamulatur EIS.

ILLUSTRISSIMO
&
REVERENDISSIMO DOMINO,
D. VLADISLAO
WIERUSZ
WALKNOWSKI,
CANONICO CATHEDRALI POSNANIENSI,
ABBATI COADJUTORI TREMESNENSI,
PRÆPOSITO VIELICHOVIENSI,

Domino, Mecænati Amplissimo.

SOrte venit non postrema, (ut pote Gentilitiæ ALEÆ) quod LUMINARE CANTIUS, non alibi, nisi in Gentilitio TUO sistit CARPO, MECÆNAS ILLUSTRISSIME. *Non sine ratione utiq; CAPER hic, sursum prosiliens cernitur, quia sidera petit, qui pridem inter hæccè relatus. Etsi indubitata est Astrologis fides, quod Sol punctum Capricorni tangens, superiùs ascendat, vix*

LUMINARE CANTIUS punctum Honoris TUI, ac Gentilitii *tetigit* CAPRI, *& jam Superiorem elevatur in gradum, dum ex Academi Umbris, publicam venit in lucem.* *Cõtinebat paulo motum sui LUMINARE CANTIUS, & ubi stationem figeret, meditabatur aliquantum, mox* sors *non exsors* Gentilitiæ ALEÆ, *Nobile signum manifestavit* CAPRUM. *Et benè cessit fortuna Duce,* CAPER *utiq; Hic, distinctis congaudet qualitatibus. Si quæ Cœlesti signo, nobilium effectuum adscribũtur proprietates, non minores* Gentilitio *prærogativæ* CARPO, *Veniat qui sciscitari cupit (in Chloridem invito humanissimè) ad lectissimam quia domesticam, domesticam quia signatam, signatam quia sortiferam feram* CAPRUM, *nihil cernet: nisi* prædã fortunæ, *sedem honorum* Illustrissimo WIERUSSIORUM DOMUS, *occupatam Genere,* Ductore CAPRO prævio. *Quintum propè sæculum, dum à probata sui virtute, datisq; fidelitatis documentis,* VIERUSSII *Cognomen tulit, hucusq; intaminatum retinet, Suosq;* Gentilitios *in convenienti distinctæ perfectionis conservat puncto. Quanta Semmiferis suis addebat, addit- què ornamenta, patens est Nobilis Poloni documentũ, quod:* (a) Hac in Domo Viri pacifici, Qui in rebus arduis, Regibus Poloniæ, fide & constantiâ comprobati fuerunt, Hac *quod* in Domo Viri prudentes, sagaces, strenui, fortes, & in rei militaris peritia excellẽtes. *Et certè oraculum, præter augurium dixit;* ILLUSTRISSIMÆ *namq;* DOMUS TUÆ MECÆNAS AMPLISSIME, *dum revolvo Fastos, Quemlibet hac de Stirpe NATUM, distinctis hisce perfectionum congaudere Privilegiis adinvenio. Sistit hic in testimonium, DOMUS Hujus Corona Illustrissimæ* CLEMENS WIERUSZ, *Oppidi Wieruszow, ac Castelli Dominus, & Hæres, rerum peritiâ, animi dexteritate, ac fortunæ notabilis dotibus, Qui corda singulorum, ac omnium sibi concilians affectus,* Uni-

(a) Długoß: apud Paprot.

UnicamDOMUS Suæ MARGARETHAM, instantibus Partis Votis, Distinctæ TASZYCCIORUM DOMUS inferri Coronæ, non recusat, dum JUDICI Castrensi Cracoviensi, in Connubiale committit fœdus. Venit non degener virtutum & perfectionum FRATER JOANNES WIERUSSIUS, *Qui strenuæ suæ dexteritatis, irruentibus fortis adversæ impetibus, Austriacæ signa dedit Cochorti. Auget gloriam DOMUS suæ,* BENEDICTUS WIERUSSIUS, *Æquestris Exercitus REGIMENTARIUS, (b) Qui in peragendis publicis OfficiorumNegotiis, imperterribilis* WIERUSSIORUM *Cordis animi, constantisque in Patriam fidelitatis,* insignia ad Grundvaldense Mavortium, præbuit documenta. *Non minus superaddit Decus DOMUI suæ Illustrissimæ* THOMAS WIERUSSIUS, *pedestris ROTHMAGISTER Exercitus, (c) Qui ad commotam hostilem Moschorũ potentiam, fortitudine, & audaciâ, sacratũ bellô locum, sanguine & gladiô renuntians,* omnibus Martis strenuè sistebat in ardoribus. *Explicet sibi, quicunq; ut vult, hoc sentimentum generaliter prolatum Authoris quòd* nulla fides pietasq; Viris, Qui Castra seqvuntur; *hoc tamen in sensu debere accomodo sumi, Sors alia* WIERUSSIORUM *ostendit DOMUS. Quanta in Cœlites pietas; Christianæ zelus fidei, quantus inquam Mystarum CHRISTI amor, & observantia, liceat inferre;* ad extructum magno sumptu, liberalì munificentiâ, in Palatinatu Posnaniensi Eremitorium, (d) *quod ut indelebilem (quia æternum duraturam per ævum) superaddit famam, sic eminens nobilium virtutum manifestat documentũ. Majora posteris sæculis in* WIERUSSIORUM *spectanda veniunt DOMO,* dum Scutum Scuto, Galeã addunt Galeæ, *suam fidelitatem valori, & valorem suæ fidelitatì jungendo,* WALKNOVIORUM *assumunt Nomẽ. Et*

b be-

(b) Bielski fol: 297. (c) Paprocki fol: 417. (d) Paproccius.

benè eſt: Ut convenit res Nomini, ſic convenit Nomen rei, WIERUSSIIS *Nomen, à ſervata DEO, & Patriæ fide*, WALKNOWSCIIS *à validitate in eadem venit*, WIERUSSIORUM *fides valida*, WALKNOWSCIORUM *validitas fidelis. Siſtit hìc ad ſpeciale actibûs ſuìs DOMUS ornatum*, JOANNES WIERUSSIUS WALKNOWSKI, EXACTOR TERRÆ VIELUNENSIS, ATAVUS TUUS MECÆNAS ILLUSTRISSIME, *moribûs inſignis, excellenti in componendis rebus pollens acumine. Qui ob præclara merita fideleſq; in Patriam conatus, collatum ſibi, (trutinâ juſtiq) gerens officium, magnam Orbi Nominis ſui commendationē reliquit. Addit diſtinctum DOMUI Honorem ſuæ*, JOSEPHUS WALKNOWSKI ABAVUS TUUS, ILLUSTRISSIMÆ SZAMOWSKA, CASTELLANIDÆ *conſociatus* Brzezinenſi, *gravis, prudens, vera ſinceritate bonus, ſingularisq; apud omnes æſtimationis. Cujus LECTISSIMUS FILIUS STANISLAUS TRIBUNUS Exercitus, PROAVUS TUUS, ILLUSTRI, ac MAGNIFICÆ DOMINÆ* PETRONELLÆ STRZAŁKOWSKA, *Connubiali junctus fœdere, dum poſt literarum ſtudia, florentem ſui ætatem belligero conſecravit Marti, Herculis animô, benè præparatum in Tartaros cōmittens pectus*, acer, ſerius, cordatus, *ad dubios belli perſiſtens eventus, ubi ſuorum deſtitueretur ſubſidiis, maluit Morti cedere in prædam, quam de Martis ſe cædere Campo. Ubi quia* non omnibus una fortuna, nec ſerena ſemper arridens fronte Jupiter, *ſervit illi hoc cuidam ſubſcriptū*, mortem dedit ipſa voluptas. *Tanto PATRE, non degeneres veniunt, quia ad magna nati FILII. Primus HORUM* STEPHANUS, THESAURARIUS Vielunenſis, *Vir Literarum Culturæ amantiſſimus, candore amoris in PATRIAM, amicitiæ in* propinqvum *notabilis. Hic plurimis in rebus æxiſtima-*

tio-

tione omnium probatissimus, actis & scriptis Orbi *splenduit* Patriæ, *&* Familiæ. *Adest hic secundus natu minor CASIMIRUS, Qui sortem DOMUS suæ*, Gentilitii *BUSINSCIORUM DOMUS* Grzymalitæ, *ubi commiserit Custodiæ, certè votis, fortunâq; secūdus, (CUJUS dilecta NICOLAUS propago, mentis excellentiâ, animi validitate, rerumq; decoratus perspicaciâ, venit hinc mox magnæ virtuti honor, venit major à virtute Ornatus Honori. Dùm primò* SURROGATOR Castrensis Ostrzeszoviensis, *mox ex* Comitiis REGNI, *(d) Commissarius ad limites Silesiæ inscriptus, ubi hæc egit, quæ* Bono publico, *ac* Patriæ *ferunt commodum, ea pacifica vit, quæ singulari versatilitati innitebantur ac judicio.* NOMINIS Ejusdem, *nec diversarum perfectionum sistit hic NICOLAUS, Qui vinculô Matrimoniali* Illustrissimæ ANNÆ ZYCHLINSKA, CastellanidæMedereceensi *junctus, Quinq; FILIAS, primam votô castitatis, ac vitæ sanctimoniâ DEO, quatuor Alias, Cōtractibus Matrimonii* Illustrissimis *Sociatas NOMINIBUS, unumq; Filium ADALBERTUM Polono reliquit Orbi, ut naturæ donô minister* Domui *Huic virtutum honos, ac rectè gestorum excellentia, in posteris elucesceret Universis.) Etsi Arithmeticis fides danda, quòd* numerus impar est perfectus. *Accedit huc insigni* DOMUS *cum decore* STANISLAUS WALKNOWSKI, AVUS Tuus æstimatissimus, Mecænas Illustrissime, Illustri, *ac* MagnificæDominæDOROTHÆ ZAWADZKA, *solenni Sacramenti Matrimonii ligatus nexu, ætate quidē, sed non animi inferior dotibus, summis dotatus perfectionibus, vel exinde maximè, quia TERTIUS. Hic promptitudine in bonum æstuans triplex, honestum, utile, delectabile,* Regi, Patriæ, & Familiæ, *eminenter lucescere, & proficuè, præmissis meritorū signaculis, dum probatæ suæ* de-

Const: fol. 25. (d) *Niesiecki Tomô 4. fol: 452.*

debitos virtuti, totiesq; collatos recusabat honores, honor tamen fugacem consequebatur VIRUM, quia meritis ta- spirat fortuna. *Hinc primò PRÆCO Exercitûs mox,* SURROGATOR Castrensis Ostrzeszoviensis, *dein* CASTELLANUS Vielunensis, *REGIA favente constitutus Gratiâ; His in functionibûs* qualis quantulvè *fuerit, si investigare licet? Patriæ Ministerio sedulus, conceptu subtilis, morum gravitate decorus, majorem honori decorem, sublimiorem* Cuivis *Officiorum* Loco, *rectegestîs suis, superaddens Majestatem. Eminent manifeste hæ Paternarũ virtutum qualitates, ad Clarissimos Domûs splẽdores, in Quinq; FILIIS Distinctissimis* PATRUIS Tuis Mecænas Amplissime. *Adaugent Hi æviternam actibûs famam suis Domui* Illustrissimæ. *Inter Quos Primus* MICHAEL WALKNOWSKI, Cathedræ Posnaniensis Scholasticus, *summus ingeniô, prudens consiliô, Religionis Catholicæ tenacissimus, Jurium Ecclesiæ, Propugnator, & Defensor, tantæ apud singulos, in componendis rerum negotiis animadversionis, ut merito Illi, hoc cujusdam inscribatur elogium.*

Vir bonus, & sapiens qualem vix reperit ullum,
Millibus è cunctis hominum consultus Apollo.

Et certè hîc Clavibus PETRI fortuna Comes, *in Custodiam* Eorundem *veniente* VLADISLAO WALKNOWSKI, Germano Fratre, Canonico Cathedrali Posnaniensi, *Literaturæ imbuto dotibus, ac probis instructo moribûs. Ubi; quia* unita virtus fortior, *eò solidiores successus, firmiora consilia, nec sorte adversa venientia;* ad Gentilitiam secundam WALKNOWSCIANÆ Domûs Sortem *speranda mala. Nec PATRIA quoq;* Horum *servitiis, nec inquam destituta subsidiis. Vidit ad benemerendi occasionem, promptitudinem, novit fideles, quavis in expeditione facilitandorum Boni Communis negotiorum, Conatus, in* ANTONIO

PA-

PATRE Tuo Mecænas Gratiosissime, JOANNE, & RAPHAELE. *Ubi* JOANNES *expolita in* Patria *mente, majoris gratiâ acquirendæ Sapientiæ exteros soles petiit, ut Patriæ subsidio, Familiæ esset decori,* non enim potuit summum ingenium, nisi summos Viros quærere, & imitari. *Hinc crescentibûs annis,* Angliã, Hollandiam, Daniam, Sveciam, Belgio ferendo famã, & gloriam, *non tantùm lustravit, verùm etiã illustravit; ergo redux dum salutatur, Commissionis ad limites Silesiæ (e) eligitur* Deputatus. *Eminuit innatus* Domui huic *virtutum splendor, ac consequens splendorem in RAPHAELE Honor, in Quo honor certabat de loco cum honore.* PRÆCO *Hic Exercitûs, diligẽter quæq; MARESCHALCUS Judiciorum Capturalium, in libra æqui, regula justi, omnia;* LEGATUS ad Comitia *(f) indè* Commissarius *(g)* ad limites *assignatus Silesiæ, diligenter, fortunatè, quia Sapientér, singula adimplevit. Quid de* ANTONIO, PATRE Tuo Dilectissimo, *dicendum. Florens adhùc ætas, insignia jam futuræ claritudinis manifestabat documenta,* Cujus *sublime mentis acumen, animi comptitudo, morum elegantia, ac inclytarum virtutum Majestas, non alium, nisi in* REGALI Domo *ad sui Palæstram poscebat locum. Hinc mox in Aula* Serenissimi *olim* AUGUSTI II. Poloniarũ Regis *Locum nactus, verbîs florens, ingeniô magnus, ita* REGIO *adhæsit Cordi, ut Primus Lateri admoveretur Ejusdem. Recusabat Ille Honoris decora, quæ toties offerebantur Eidem, sciens* præcipuam dignitatem esse non fungi honoribus, sed ab aliis dignus honore judicari, *(h) magnum tamen* DOMUI *tulit ornamentum suæ, dum Romæ, Venetis, Neapoli, Galliæ, insignibus perfectionum, innotuit naturæq; dotibûs. Tulit inquã, dum* sortẽ Domûs suæ Distinctissimæ MIELZYNSCIORUM PROSAPIÆ, Gentilitio committens Novali, *bona sorte* Illustrissimam URSULAM MIELZYNSKA, Castellanidam Sremensem, Capitaneidam Kcynensem, *Fæminam Lectissimam, uti omnibûs decoratam naturæ donîs, exsucta uberibûs* Maternîs Illustrissimæ CATHARINÆ MYCIELSKA, MATRIS suæ *insignem pietate, in Consortem nactus, indistinctas in Filiis suis,* JOSERHO, *Qui* POTOCCIANÆ *conjunctus* Cruci, *fortunam honoremq; adeò devicit, ut sibi eandem reddiderit vectigalem.* VLADISLAO TE Mecænate Amplissimo,

c FRAN-

(e) Const: f. 25. Niesiecki ibidẽ. (f) 1690. (g) Const: f. 17. idem ibidẽ. (h) Aristotel.

FRANCISCO Judice Castrensi Calissiensi, *Cui ipsa Justitiæ*
farens Astræa, valorem, & *æstimationem addit. In æquissima*
etenim judicii lance, Illius ponderando merita, totum fidelitatis
Annulò sese eidem desponsavit. OVIDIO *authoritate gravi,*
prudentiâ præstanti, Optimo Reipublicæ Cive, reliquit bonarum
qualitatum dotes. Compendium laudum Tu es Mecenas Illustris
sime. *Quascunq; gratiâ Tui*, in Majoribûs *hucusq; venerabar*
virtutes, easdem in Te congestas, Oratoriâ dum feror, adoro pē-
nä. Dum etenim curiosè perscrutor, additum Domui Illustrissi-
mæ encomium, id totū distinctim reperiri inTe, quis non videt?
Si prudentiam & sagacitatem *spectavero, compendium hoc per-*
fectionis, in florenti statim clarè prominuit ætate. Sacrâsti juve
nilem mentem Tuam *Palladi Literariæ, Cujus cordi adeo adhæ*
seras, ut indissolubili Eidem sociareris nexu. Amor studiorum
tantus inTe eminuit, ut singulariorî titulò Laureatus vocitareris
Pòéta. Hìs scientiarum gradibûs ivit in altum magna virtus,
quæ Te in suprema Sacerdotii Auge collocavit. Non potuit domi
diu latere innata probitas, quarè publicum petit, dum stallô Ca-
nonicatûs Cathedralis Posnaniensis *insignitur. Dat signum vir*
tutis Tuæ Pogorzeliense Beneficium, *ubi ea, quæ* bonum cõcer-
nunt Pastorem, *omni cum vigilia executus es adamussim. Et si-*
cut transplantaræ arbores majorē edunt fructū, *ita* Tu ex Po-
gorzeliensi in Vielichoviensem *transferris* Præposituram, *ut*
majora Congenitarum Tibi relinqueres perfectionum semina. Si
pacificandi occasionem spectavero; *Augent gloriam (nullô in-*
delebilem ævô) Oratoriæ functiones, in quibus rationi accumu-
lati affectus, morum gravitas, cum suavitate mixtorum versa-
batur temperies His præmissîs altæ mentis signaculis, ad Tri-
bunal Regni ab IllustrissimoCapituloPosnaniensi *dum*DEPU-
TATUS *fieres, publicis admotus negotiis, instantia quæq;* & *dis*
cussisti, & *legibûs illustrâsti. Tantas animi respiciens do-*
tes, Illustrissimus FRANCISCUS XAVERIUS PONINSKI,
PATRUUS Tuus ABBAS Tremesnensis, *ita*Te *sibi adamavit,*
ut AbbatialisTe suæ COADJUTOREM, *eligeret* dignitatis.
Augent inquam immortalem famam Cathedræ & *Exedræ, ex*
quibus sublimi stylo, ingenioso acumine, publico toties; prolatîs
sermonibûs innotuisti Orbi, augent scripta, (i) non vulgaris digna
existimationis. Eminet in Te & fortitudo, & in rei militaris
peritia excellentia, *sed in Campo, Palladi Sacrato Literariæ, in*
quo si moves bellū, illud non offensivū, sed defensivū *Omnia lau-*
*dum*TUARUM *explicare encomia, non mei est, plura tamen*
loqui possem, ni venerabundū, labello & *libello impositum, inter*
cede.

(i) *Paneg: Conc: Illustrissimo Andrea Mielżynski, Capitaneo Kcynensi subscipta.*

cederet silentium. Veniunt huc ad Majus Domûs Nominisq; ornamentu TUÆ *Ligata* Nomina, TASZYCCIORUM, MASŁOWSCIORUM, KOBIERZYCCIORUM, SZAMOWSCIORUM, STRZAŁKOWSCIORUM, ZAWADZCIORUM, ZAKRZEWSCIORUM, BUSINSCIORUM, WĘZYKOVIORUM, ZYCHLINSCIORUM, KIERSCIORUM, DORUCHOWSCIORUM, MIASKOWSCIORUM, SŁONECCIORUM, MYCIELSCIORUM, MIELZYNSCIORUM, POTOCCIORUM, BIELINSCIORUM, PAWŁOWSCIORUM ZBIIEWSCIORUM, GLINICCIORUM, RUDNICCIORũ, BARSCIORUM, PONINSCIORUM, WESLORUM, KOZMINSCIORUM, GĘBICCIORUM, SKALAWSCIORUM, MARSZEWSCIORUM, *aliaq; ferè omnia.* Tanto *ego* NOMINI *applaudens, dum TIBI, particularē hunc, laudum PATRIARCHÆ Nostrûm, (quem innatâ acceptare velis benevolentiâ) offero laborem, apprecor, ut* Sorte Gentilitiæ ALEÆ, *altissimi TIBI famulentur honores, ac LUMINARE CANTIUS serenos sine nube malorum accendat dies*, ut Patriæ & Ecclesiæ *in subsidium*, Illustrissimæ *in ornamentum DOMUI, vivas longævus, quam diutissimè,*

ita precatur

ILLUSTRISIMÆ, ac REVERENDISSIMÆ

DOMINATIONIS VESTRÆ,

Servus devinctissimus

Author Operis.

ORATIO.

BEnè est AA. quod expolitus sua in sphæra Orbis tantam rebus majestuosæ authoritatis indidit eminendi prõptitudinem, ut nulli latere, sed singulis oculo præsentari humano sit in votis. Omne siquidem encomium, laus, & prærogativa rei, eminentiâ probatur, *Occultorum nullus respectus, Ignoti nulla cupido.* Parvam sui habet commendationem in concha positus unio, sublimiorem locum & honorem petit hic, qui in Regali (esto minoris quandoq; sit momenti) splendet Corona, quam in fluctibus marinis pretiô vix æstimabilis, paritate æquabilis, quantitate superabilis. *Esto eggregiæ animi dotes si non proferantur, perindè sunt, acsi non habeantur, hinc.* Langius

Tu licet, & Thamyram superes, atq; orphea cantu, Ovidius
Non erit ignotæ gratia magna lyræ.

Ipſe Planetarum Princeps Sol nubibûs per accidens tenebrarum obductus, quam triſtem irrequieti doloris præſefert mundo faciem, quod qui ſplẽdore ſuo, amæna ſingulis favet temperie, quandóq; extra ſphæram áctivitatis, lineam capacitatis, tenebroſus ac inviſibilis extet. *Et ſapientia abſcondita & theſaurus inviſus quæ utilitas in utriſq; inquirit Eccleſiaſtes.* Hæc *cum ſit una omnia poteſt, & in ſe permanens, omnia innovat, & per nationes in animas ſanctas ſe trans fert,* Cultores ſuos latitare in tenebris minimè permittit, *Sapiens ſi ad ſummum uno minor Jove,* jam ad Triregia honorum, jam ad ſplendorem ſoliorum, jam ad nitentes primus Coronas, quid eſt? ſi non unica ſplendendi capacitas, quid? ſi non unica, præſentandi ſeſe oculis ſingulorum promptitudo. *Honoris & gloriæ cupiditas digna laude eſt, & in ſocietate hac humana utiliſſima, ea enim ad cogitationes, atq; actiones generoſas & excelſas extimulat.* Per uſum res cõmendãtur, & benè: *Abdita quid prodeſt generoſi vena metalli?*

Horat. 1. Ep. — Guicciardinus in hyp: Pol. — Lucanus ad Piſon.

Si Cultore caret:

Biezanovius *Non alibi, utiq; principi quoq; metallo locus, quam in ſummo, ubi vera lux ad uſum, non corruſcatio* in umbris *ad momentum.* Uſu res probantur, & meritò: quis honor rubigine obducti, bellô parantis pacem, in ſtercore deliteſcentis acinacis?

Propertius *- - obſcurus teritur rubigine mucro*
Ferreus, - - -

Uſu res expoliuntur, & benè: quis fructus occultorum, quæ nec ſibi, ſeu laudi ſuæ, nec uſibus Orbis.

Ovid: l. am. *Æra nitent uſu*

Pulchrius ſemper res creſcunt, firmiuſq; in convenienti ſibi perfectione perſiſtunt, ſi ád ſui eminentiam laudem quamcunq; conſequantur, quia *lauda-*

ta

ta virtus crescit, nec mirum, quod dissonæ rebus tenebræ, quia:

Umbra fugax, qua nil vilius esse potest. Ant:F.Castr

Et hæc motiva supponite AA, quæ rebus latere nō permittunt, per quod, ut assiduò spectatrici ad videndum præsentatur oculo, sic eminentem æstimationem, ac speciosam sui commendationem habēt. Liceat tamen mihi quæstionem movere; quid ultrò ages seniô gravate Orbis? si tam frequēter tua sistes ad videndum objecta, ergò productum quādoq; activitatis tuæ disrumpetur filum, si ultrò vano tuo gloriari voles splendore; ergò parvam (hanc quæ tibi inest) extenuabis promptitudinem. Recede potiùs cum tuo splendendi desiderio, quia exitus malus, & *finis turpis laudem eggregiam maculat*, Tacitus recede tum tua eminendi activitate, quia hæc, quæ monstras, vanitas vanitatum, & omnia vanitas, *res* Com: supr. hæ, quas ostentas, *stabiles non sunt, sed cum fluxu temporis confluxibiles*, objecta quæ sistis, caduca sunt, & Poë: Aris. mutationi subjecta, fastus deniq; tuus fatuus ac infestus. Ubi enim sunt Pergama Mundi, ubi septē olimGræciæ miracula, distincti Semiramidis chorti, ubi sacratum Deæ DiannæTemplum, ubi aurea Thæbarum mænia, ubi inquam quæ magno surgebat motuBabylonica turris, Benè: quod non omnia tuo famulantur gustui, quia *amant pretiosa latere*, benè: quod non omnia tuæ subsunt potentiæ, ea vel maximè: quæ dominio Sapientiæ subjiciuntur ac virtutis, *Qvis* utiq; *Sapiens bono confidit fragili?* Au- Sen: in hyp. fugiunt illicia tua (*quæ gumi adinstar sunt*) candore notabiles virtuosi, ne levi quamvis inquinentur attactu, prætereunt *sita (aucupis more)* Sapientes *retia*, nè insperatè capiantur, in tenebris sibi mansionem eligunt, ne *laqueo (qui voluptatibûs, & opibûs veluti e-*

scis objectis ad se allicit capitq; incautos) involvantur. Cognoscunt à parte vanitatē tuam, quæ quia transiens est, nullam ei servire commendationē admittunt, innixi illi sancto monito.

Jac: Bil: Auth: Sacr. *Esse DEO quisquis, cupit ergò splendidus Ipsi*
Hæreat, & Mundi spernat inane decus.

Recognosce hic miseram tui conditionem, quæ e-stò prominet, sed Phænomenorū (quæ vix apparēt jam disparent) aptitudine, respice occultorum authoritatem, quibus satis ad gloriam & decorem, *quod Regno persæpè assimilientur Cælesti*. Sistit hic pro objecto *Magnus Confessor, Regni Poloniæ Patronus, Patriarcha Nostrū CANTIUS Divinissimus*, Quem si noscis, illustrem Ejus in tenebris intuearis vitam, Hujus ego Laudes ad explicandum assumens, LUMINARE in ACADEMI UMBRIS REFULGENS, SAPIENTIA ùt LAUREATUM, MERITIS ùt BEATUM, CLARISSIMUM ulterioribûs deducā argumentîs. Primùm hic existimo fore, Protectricem gratiam Tuam DOCTOR DIVINISSIME, mentem illumina, animum illustra, ac umbratili Oratoris svadæ luce serena fave, ne ei in laudū Tuarum tractu, contingat aberrare. Orietur LUMINARE CANTIUS, patebitq; eminenter singulis, modò Eidem, mentes & aspectum (prævia attentione) præbete, supplex exposco Orator.

LUminare à lumine suam sortiri derivationēm & ethymum pateticum est, Lumen quid sit? in Quæstionem non voco Oratoriam, Luminare quid sonet, à definitione exordior. Luminare D. Th: 2. d. 15. q. 1. a. 1. dicitur esse *corpus lucens, & radios emittēs*. Hoc quod clarius promineat in tenebris, vel exindè constare potest, quod *opposita penes se posita magis elucescunt, lu-* Plato Top. 7. *men utiq; & tenebræ sic inter se affecta sunt, ut contraria*

esse

esse videantur. Habet semper suam in Cælesti hemisphærio stationem Luna, non tamen de die, suo coram Mundo circumscribitur splendore, sed ad opacas noctis tenebras, prominentem in Universum diffundit lucem, nec stellæ nisi ad umbras, nec adamas (ut nativo sui constet splendore) de die, sed de nocte eligit præsentari. Cæcutiunt ad solem noctuæ oculi, qui instanti nocte in longum agunt, extendit visum in obscuritate terræ talpa, quæ nihil ad lucem oculis palpat, demum: *Justitia censorinæ virtutis sub accusatorum censura clarior, sub nube ostracismi justitia Aristidis major, quam si in eam non incidisset.* CANTIUS Divinissimus, quod sit LUMINARE, illudq; in Umbris REFULGENS, à primordiis vitæ exordiamur Ejusdem. Sacrata Divinissimo JOANNI BAPTISTÆ lux, facem CANTIO primordiorum accendit vitæ, sed nascitur in angulo (quia oppido Kęty) & jam latere incipit, utiq; *in angulo fieri dicitur, quod fit in occulto.* Nascitur honestis iisq; Catholicis, insignibûs pietatis Cultoribûs, Stanislao & Annâ Parentibûs, qui statim juvenem cognitioni Divinæ aptant, primis fidei imbuunt rudimentis mores ad probitatem componi curant. Subit jussa, amplectitur monita Parentum, illisq; statim parere consvescit CANTIUS, nihil puerile, omne grave, vultu & gestu præseferendo semper. Ulteriores ætatis suæ ubi succreverit in annos, sciens contermìnas sibi esse sorores virtutem & sapientiam, nec ignorans: quòd *quemadmodum cum sol super terram non lucet, obscura atq; indiscreta sunt omnia, ita in animo, nulla eruditione, nullisq; literis imbuto, confusa atq; indiscreta jacent Universa,* & in hac domi exercitari non præmittit. Crescit Puer, crescit cum CANTIO virtus, augentur studiorum principia, sed o gratiâ

Langius.

Basil. Imper. Leoni filio.

san-

sanctificantē? o donum Dei illuminans intellectū? en irradicata in ante CANTIO pietatis scintilla, sic totum inflāmavit amore Divino corpus, ut omniū in se juvenis converteret oculos, ast innata CANTIO latendi virtus, ut inanem aufugeret gloriam, in Academi se confert lucum, seu ad Magistrā Doctorum, sedem Sapientiæ, domicilium virtutum, (quod tunc novòRegiâ Jagellonis munificentiâ instauratum est,) Almam UniversitatemCracoviensē contendit. Explicare impossibile, ut primitialis in publicis Scholis CANTII animus, studiô cognitionis ardens, adeò majori (virtutis & Sapiētiæ acquirendæ gratiâ) jam ad numerosam studentium frequentiam, jam ad sufficientem in docendo Professorum attentionem, animatus entheô, ut se totū applicationi, ac sedulæ ad bonos mores devoveret diligentiæ. In primordiis accessûs Scholastici non postrema, quia eminentia enixæ CANTIANÆ doctrinæ prodierunt signa, quæ magnæ futuræ indicium erant claritudinis. Transiliit hic jam Minervæ casus, & inter sacratos Deæ Palladi Parnassios colles, auscultari voluit, ast insigne virtutis & Sapientiæ compendium in CANTIO, ipsa Parnassûs superprominebat cacumina, ergò votîs irrequietus suîs, ad reficiendas vires & animum, sub expansas Mercurii alas Rhetoricos gustatum properat ad fontes. Non extinxerunt CANTIANAM sitim, imò majus accenderunt lumen Rhetorica flumina, ergò major adhuc in Rhetoricis tempe prominens claritudo in CANTIO, motivum fuit, sub Porphyrianam sese conferendi arborem. Sed ne stes diu o CANTI? cor tuum pietate ardens, mens illustrata Sapientiâ, imò totum inflammatum corpus, humi dum radicale arbori extrahet Literariæ, fructumq;

bo-

bonæ ſpei amittet, abſit, abſit: *ros virtutis & ſapientiæ ſuperaddit vigorem.* Latere igitur non poterant, quamvis depreſſa ſui deſpicientia, & amore contẽptûs ſæpiùs humiliata ſtudiorum incrementa, ac perſpicacis ingenii acumina, ſed in debitis ac conſvetis exercitiis, *quandoq; ut ſcintillæ*, quandoq, *ut radii*, quandoq; *ut fulguris inſtar* illuceſcentia, vi ſua nativa ſe prodebant, hinc ut ſaltim ſub manipulo, Regiiſq; Jagellonis Sceptris à fulmine inſtantis famæ, ad ſui deſpicientiam tutus eſſe poſſit. Catalogo Profeſſorum Almæ Academiæ Cracovienſis inſcribitur. Æſtuans altioris deſideriô ſcientiæ CANTII Diviniſſimi animus, pacatum ſibi inter Logicales ſpinas ad ſolitarium ſtudium adinvenit locum, aſt Sol Literarius, & ibi eminentiam manifeſtavit Ejuſdem. Ergò committit ſe hinc ultrò, Archipelago Philoſophico, hauritq; guttas, jucundo dulcedinis ſapore plenas, irrigat frontem ſuam, ut ſtillicidium in ea concreſcat aquarum, ne collata tempore debito (Scholaſtica illuceſcente Phæbe) madeſiat corona. Poſt peractum totô bienniô in Eurippo Philoſophico, curſum, poſt ſedulos, inter graves & ſerias docti Peripati porticus, labores, Pallas Philoſophica CANTIUM Diviniſſimum, Laureatum in Philoſophia Nobis ſiſtit Doctorem. Et quia Doctor à docendo ſuam nominis derivatione ſortitur, hinc CANTIUS DD, obligationi ſatisfaciendo ſuæ, manifeſtat alacritatem ſuam ſerviendi in docendo ſubjectis. Confluunt undiquaq; radiis Sapiẽtiæ incitatæ CANTII ſtudioſæ mentes, & quid CANTIUS Diviniſſimus! edocet, illuminat, illuſtrat; vitæ exemplô integerrimæ, edocet bonos primò mores, illuſtrat demùm indoctæ confuſionem mentis, irradiat ignaviam claritudine ſcientiæ, tot

Opatovius in vita.

& talia Orbi sistendo subjecta, quibûs præstantiora nunquam, æquivalentia vix quando habuit. Emensô in statione Academica Scholastici motûs annorum 15. spatiô, in Decanum (*quod munus nonnisi ob singularem & multis argumentis probatam confertur doctrinam*) Facultatis eligitur Philosophicæ. Congaudent tenebrionum animi, tam insignem Sapientiâ; quod Moderatorem nascerentur, solvuntur in lætas acclamationes, veni o Sol Doctorum! veni o Lumen Claritatis! mentis inscitiam pellens. Non deiviastis in sensu, nec errastis in sermone Cultores Literarum, CANTIUS Divinissimus quidni Sol; benè est, quia *sicuti Sol omnium oculis præditorum lux est, sic etiam Sapiens omnium qui rationali naturâ participant.* CANTIUS quidni Lumen Divinissimus, benè est, *sicuti oculi splendore splendore Solari, sic mens illustratur Sapientiâ.* Vidit Orbis Literarius sedulum CANTII Divinissimi, & hunc assiduum, in instituenda ac illustranda juventute, Decanatûs laborē, hinc mox Eidem hiccè imponitur secundò labor. Non recusat, bonus ac peramans Filiorum Pater, spargendi ultrò scientiæ lumen, impositum onus, ergò in vim laborum, datô Angelicæ fermè Sapientiæ documentô, Sacræ Theologiæ renuntiatur Doctor. Et quia *omnis Sapientia in hoc uno est, ut DEUM cognoscat & colat.* cogitare hic cæpit CANTIUS, tempus esse, meditari eò magis in lege Domini, tempus esse, frangendi & dispensandi parvulis, Cœlestis panem Sapientiæ, invitariq; ad Cathedras pestillentiæ subvertendas, ergò sacris initiatur ordinibus, Benè est, quod Sacerdotium *per Mathæum luci, per Gregorium stellis Mundi, per Basilium ardentibus æquiparetur facibus*, CANTIUS jam Presbyter Divinissimus, à sublimitate Sapientiæ, à vitæ integrita-

Philonis.

Idem.

Lactantius l. 1. C. 30.

ta-

tate, à cryſtallo puræ conſcientiæ, quid? ſi non LUMINARE dicendus.

Aſcendit Luminare CANTIUS Superiorē in Polo Theologico gradum, ſed per humilitatem operoſam; cur ita? *nihil altiùs aſcendit, quam humilitas operoſa.* Franci Petri. Emeritus in ſtatione Academica Pater, totus deniq; hìc, corporis mortificationibus ac ſummis deditus jejuniis. Non *Sybaritica*, non jam *Syraucuſana*, utræq; *prælautæ & opiparæ* apud CANTIUM *menſa*, factus Theologus, (indictâ ſibi in perpetuum abſtinentiâ) recuſat carnem, panis & aqua ſufficiens Eidem ad ſatietatem portio. *De quibus Zenodotus.* Sed inhumanū eſt o CANTI? laſſatis per exantlatos labores denegare quietem viribus, fatigato tantum incommodum præbere corpori, nonnè tempus eſſet, pacatæ dare membra quieti, laceſſitas in provecta ſaltim ætatis refocillare vires, *abſit, abſit, inquit CANTIUS, nemo poteſt virtutem perfectionis attingere, niſi prius edomuerit ventris ingluviem.* Isidorus. Sicq; ad ima profundæ humilitatis, cum ſui deſpicientia, delatus, cum ad honores Academicos, virtutibus & ſapientiæ ſuæ debitè collatos, vilior in oculis ſuis eſſe voluit, haberiq; ab omnibus ſtuduit, auſteram elegit ducendem vitam. Satis in Collegii convictu DOCTORI CANTIO, auſcultandi ſeſe occaſionis erat, ſed quia *illuxit lux, & viderunt opera bona,* quæ ob quandam conceptam jam, ſanctitatis venerabantur opinionem, ergò LUMINARE CANTIUS, exteras motum facit in oras, dum ad umbram vilis & abjecti Peregrini habitûs, Septicollem (Orbis & Urbium Caput) contendit Romam. Hæc vix loquor, & ecce ad motum CANTII, infenſæ luci tenebræ, proſiliunt è latebris latrones, inſiſtunt innocenti, inimici inſultus JOANNI, concutiunt CANTIUM,

aurum extorquent, omnia ut spontè tradat, severè præcipiunt; ergòne jam LUMINARE CANTIUS, innato fermè sibi spoliabitur splendore, minimè: *ci-*
Biezanovius *tiùs Soli radios, quàm coronatæ virtuti subtraxeris lucem,* splendenti se exsolvit aurô, & mox libertatur, dum nihil se ampliùs retinere confitetur. Pergit ultrò, & hìc postquam animum ex metu receperit, insutæ vesti recordatus pecuniæ, exhorruit; animique contristatus anxietate, concito prædones insequitur passu. Sed quid agis o CANTI! tanto se sponte exponere infortunio; nonnè scis, quod *qui amat periculum, in illo peribit,* & quod *nimia credulitas, crudelitatis persæpè occasio est;* immutabilia hac in sphæra intenta Doctoris, sciens CANTIUS Divinissimus, quod *maluit quondam Attilius Regulus ad supplicium re-*
Ravisius. *dire, quam datam Carthaginensibus fidem violare,* ne datã Latronibus negatæ pecuniæ violaret fidem, multìs (ut redirent) invitat precibûs, flectit genua, perjurium condolet, indignationem se incurrisse confitetur, residuum auri (quod habuit) lubens tradit. Fas mirari, AA. ùt illustrati, radiîs Sanctitatis CANTIANÆ latrones, simplicitatem Viri Sancti mirati, procumbunt ad pedes DOCTORIS? ereptam restituũt pecuniã, veniamq́, à CANTIO (quòd facilè condonavit) precantur. Solutîs DEO Sanctus gratiîs terminat cursum suum, sistitq́; in assignata votorum meta, & qua pompâ Petrus, eâdem CANTIUS Romam ingreditur, nudo pede, vilî induviô, ad sepulchra Sanctorum, precibûs assiduus, ad Loca Sacra, Orationibûs æstuans ferventissimîs, frequens, feliciter quod intenta coronaverit sua, immensas DEO deponens grates. Vix quievit paulò à fatigatione Romæ, & jam instinctum desuper habet. *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuũ,*

ES

& gloria Domini super Te orta est, hinc mox Orientē Byzantinum, Barbaram quia Turcicam, infensamque Christianitati, gyratur in gentem. Et quid inter tenebriones LUMINARE aget CANTIUS? spargit radios hisSanctæ fidei, quibus planè lux est ignota, fulminat in hos zelô Christianæ doctrinæ, qui planè sunt imperterribiles, seu edocet, illuminat, illustrat, veritatem malæ fidei præ oculis ponit, nec meminens, quia odium parit, innixus illi, quod *qui veritatem facit, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in DEO facta sunt.* Stupe hic AA. quæ audacia CANTII in barbaros sævire, en prodigium naturæ; quod hi, qui innocenti non parcunt, insistenti sibi ignoscunt CANTIO, en miraculum gratiæ, quod plurimos (quibus nox detestandorū morum, ac malæ fidei est amica) radiis virtutis & Sapientiæ in fide Sancta illustravit, tenebriones cætero (*ne dentur Sancta canibus*) magno dissipavit motu. Trina vice hac peregrinatione peracta, audacter, uti, *sapiens animus, magnitudine consilii, tollerantia rerum humanarum, contemptione fortunæ, virtutibus omnibus ùt mænibùs septus, qui vinci & expugnari non potest,* in Academi retrogreditur umbras. Plenus jam Sāctitatis meritis, redux tamen, tanto DEI inflammatus amore, ut sibi templum potiùs, quàm Collegium, in domicilium elegerit. Ad noctis tenebras in Orationibus vigil, ad profundum noctis, Imagini Pietatis JESU & MARIÆ dolorosæ, (quæ huc usq; in ingressu Collegii fixa habetur, conservatur, & veneratur) contemplationibus vaccans, affectu Spirituali flagrans, assistens assiduus, ad sævientia brumæ intervalla, nudo per nivem Ecclesiam invisens pede, Cœli sibi procurabat sedē. Et quia quod vis LUMINARE suo coram Mundo conscribitur

Skarga in vita.

Cic. Parador. 4.

effectu, nec CANTIO Divinissimo, Cœlitùs hoccè denegatum donum. Lege quisquis vis Cõmentaria in Matthæum, manu Sancti Doctoris scripta, ac in tres tomos digesta. Lege Sermonum Librũ, quibûs Verbum Vitæ, Mysteria salutis, & Monita ad repromissionem Cœlestis gloriæ consequendam necessaria, annuntiabat, & hìc Sapientiâ ut Laureati; Respice circumvolantẽ (absolvente CANTIO Sacrificium Missæ) hirundinis specie PolypumTartareum, pennis plaudentem, cantu perstrepentem, mentes & animos distrahentem Auditorum, mox ad radios Sanctitatis CANTIANÆ emissos pennas Tartari aduri, totumq; in nihilum abire observabis, respice destructum Puellæ argillaceum cum lacte canistrum, mox hoccè virtute coalescere LUMINARIS, limosamq; aquã in lac transmutari purissimum intueberis, frustrum carnis pauperi datũ, (quem Christum semper nominabat) moxCœlitùs aliud demissum, & hic meritis ut Beati, manifestantur effectus. Exantlatus ad extremùm jejuniis, mortificationibûs, & laboribûs, emensô annorum 76. spatiô, vergit in Occidentem vitæ, sed liceat mirari AA? longas poscunt, Myriades prima ad sui motũ Luminaria, & LUMINARIS CANTII, tam brevis vitæ decursus! nil obest: *Viros bonos non longâ vitâ, sed clara, & illustri opus habere dicebat Plato.* Satis est ad motum CANTII Divinissimi, nec retrogradum aget, dum in pervigilo Nativitatis obmoritur Domini. Et cur ita? CHRISTUS SOL, CANTIUS LUMINARE, ergò ut aurora diem, sic LUMINARE CANTIUS, SOLEM mox oriturum Justitiæ præcedit CHRISTUM. Nec lamenteris o Mater Academia? quod dilectus tuus filius LUMINARE occasum fecit CANTIUS, Sole in antipodis

Stap: Ser: 17

'dis exiſtente, humanæ ùt non ceſſant actiones, ſic convenientem ſuis in intentis ſortiuntur effectum, ergò LUMINARI CANTIO, ſuum in Cœleſti Hemiſphærio peragente motum, fortunatiores adhuc Tibi ſperandi ſucceſſus. Si in ante magnîs ſuarum qualitatum conſcribebatur dotibûs, majores è Cœlis influentiæ, en vix Superiorē elevatus in gradum, & jam non vulgares, quia ſummæ digni conſiderationis virtute Ejuſdem prodierunt effectus. *Siſtunt bona valetudine octuaginta tres, votô factô homines, variâ in ante oppreſſi ægritudine, febricitantes curantur tredecem, paralitici quinque, ſex ferè mortui, & jam deplorati, phrenetici ſex, Dæmoniô oppreſſus liberatur unus, jumenta ſanantur morientia duo, verè mortui ſexdecem, priſtinæ reſtituuntur vitæ.* Et Tibi Matri, omni ſervi et in neceſſitate ùt Filius, ac implantato virtute, & Sapientiâ Scientiarum viridario, ſuas communicabit influentias, ut eò magis LUMINARE in Umbris Academi REFULGENS, Sapientiâ ut Laureatus, meritîs ut Beatus, CLARISSIMUM concludatur. *Mathias Miechov.*

Suſpicimus TE jam ſplendentem Cœli elevatū in Sedem, LUMINARE REFULGENS CANTI, DOCTOR Diviniſſime, ſupplici nunc umbratilis Oratoris ſvada accedit cum precamine. Orbi Polono ſerenos accende dies, ne opacas iniquæ ſortis noſcat quandoq; tenebras. *Clavibus Petri*, Luce ſerena fave, ut ſibi Capitolium æviternæ famæ aperiant & honorum, Almæ StudiorumMatris, Univerſitatis Cracovienſis, (QuæTe ſuîs virtutem & Sapientiam ſtillantibûs lactavit uberibûs) votis propitius faveto, LubranſcianæPinui, GratiarumTuarum communica influentias, ut fauſtîs ſemper creſcat in altum ſucceſſibûs, omnibus demùm Tuum implo- *Inſigne Cath. Poſnanienſis*

 ran-

rantibus auxilium fer Cœlô Pater opem, & sic LUMINARE in Umbris Academi REFULGENS, à singulis affirmaberis, Quale ego Te Umbratilî dictione deduxi, cùm

DIXI.